



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIAE .

LIBER VII.



Odem fere tempore , quod Vincentius 1504
Naldius Faventinus , magna in oppidi
finibus gratia , omne studium & diligen-
tiam adhibuisset , ut Faventia in dedi-
tionem potestatemque reipublicæ redige-
retur , ei militiæ insignia cum veste au-
rea , aurique libræ viginti sunt a Patri-
bus dono datæ , tum quinque in annos singulos constitu-
tæ pensionis nomine , immunitate omnium rerum , quam
hæredes ejus sequerentur , addita : primis quoque proximi
ordines militum belli tempore promissi : ejus etiam pro-
pinquis quatuor victus annuus attributus . neque multo
post eædem honestates , donaque totidem , quot in Vin-
centium Senatus contulerat , in Dionysium item Naldium
ejus consobrinum sunt collata . Aestate vero inita cum
Guidus Ubaldus Julii suasu Franciscum Mariam , sororis
suæ